

# DISPUTATIO JURIDICA

IN AUGURALIS

*De*

# M V T V O

*Quam*

## PRÆSIDE SUPREMO, JURIS ARBITRO,

*Ex Decreto*

## Magnifici Jurisconsultorum Collegii ,

*Pro*

*Summis in utroque jure honoribus  
& Privilegiis DOCTORALIBVS  
ritè consequendis ,*

## Publico Eruditorum Examini

*Submittet*

*Die 20. Maii Anno M. D. CC. I.*

GEORGIUS SEBASTIANUS TRENNER ,

Franco-Carolopolita.

10.

ss. jur. civ.

64,24

ARGENTORATI ,

Literis JOHANNIS WELPERI .



*REVERENDISSIMO,  
EXCELLENTISSIMO, ET  
PER-ILLUSTRI*


**DOMINO  
DN.JOANNI  
PHILIPPO  
L. B. à SCHÖNBORN,  
Domino in Reichelsberg ,**

*Illustrissimi Equestris Ordinis Melitensis , Grandis  
Crucis , Magni Alemanniæ Prioratûs Bajulivio , Commenda-  
tori Herbipolensi , Leuggern & Biebelried ,*

**SAC. CÆS. MAJESTATIS  
ET  
EM<sup>MI</sup>. ARCHIEPISCOPI ET  
ELECTORIS MOGUNTINI**

*Consiliario Intimo , Generali campi Mareschallo Lo-  
cumtenenti , Colonello Legionis Pedestris & Gubernatori  
Civitatis ac Fortalitii Moguntini*

***DOMINO SUO PERQUAM GRÄTIOSO.***



*REVERENDISSIME  
EXCELENTISSIME & PER-ILLU-  
STRIS DOMINE  
DOMINE PERQUAM  
GRATIOSE.*

**N**um hunc, quem mihi Mu-  
sa Academica ut primum peperit fœ-  
tum, REVERENDISSIMÆ DIGNI-  
TATI TUÆ citra suggillationem sa-  
crum facerem, diu multumque anxius hæsitabam,  
Considerans, eum usque adeò non valentem, ad  
hoc

hoc chartaceum, Togam tantum, neutquam verò sagum, sapientem, ac proinde non solùm pro Tanto Mæcenate indignum, sed & pro Generofissimo Heroe Bellico minimè quadrantem censeri; penitus tamen perpendens, tum, *hujus fætus oblationem fieri non remunerandi, sed potius grati animi contestandi gratiâ*, adeoque ejus vilitatem in defectu excellentioris non curari. Ad quam gratitudinem me vel maximè adstringunt multiplicia in *Prænobilem Dominum Avum meum Maternum Nomine fung de Holzhausen P. M.* (cujus in vitâ EXCELLENTISSIMA DIGNITAS TU A officio supremi satrapæ Carolstadii, unde & Ego natales traho, non sine magnâ laude, nec non cum summo subditorum applausu functa fuit) ejusque Familiam collata beneficia. tum etiam PER - ILLUSTREM DIGNITATEM TUAM ad Exemplum SACRATISSIMI IMPERATORIS JUSTINIANI non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse, & sic etiam chartaceum quid & Togam sapiens TIBI offerri posse, Illum REVERENDISSIMO NOMINI TUO offerre & consecrare constitui. Se, reno igitur vultu cum submisissimâ devotione & in animi grati tessera oblatum suscipe. Hoc suscepto DEUM T. O. M. continuis precibus so-

licitabo, atque indefessa fundam vota, quatenus  
**REVERENDISSIMA M DIGNITATEM**  
**TUAM Familiæ SCHÖNBORNIANÆ non sine**  
*Reverentia nuncupandæ in splendorem, subditis*  
*tum propriis tum Moguntinis & Bambergensibus,*  
*præcipuè Civibus Moguntinis contra omnes Ho-*  
*stium (quos tamen avertat DEUS) insultus in Tu-*  
*tamen, Mihi verò & omnibus ad Clientelam tu-*  
*am confugientibus in singularem Patronum, in*  
*hâc vitâ quam diutissimè in columem conservare,*  
*& tandem in alterâ Cætui *Beatorum* annumerare*  
*pro immensiâ suâ Misericordiâ velit. Quibus im-*  
*petratis in votis suis in æternum felicem se dicet*


Venerationi

*Reverendissimæ, Excellen-*  
*tissimæ, Per - Illustris & Perquam*  
*Gratiös& Dignitatis Tua&*

addictissimus servus

Georgius Sebastianus Trenner.

Quam



## L. B. S.

QUAM hIC, Benevole Lector, vides disputatio-  
 nem, conscripsi animo defendendi illam Ex-  
 ercitii gratiâ, sed dum eâ conscriptâ propter rumo-  
 rem Belli, quod à quibusdam imminere creditur,  
 literas avocatorias accipiebam sicque tempus pro du-  
 plici disputatione habendâ deficere deprehendebam,  
 illam pro Licentiâ in utroq; Jure obtinendâ defende-  
 re cogebar. Proin non miraberis, eam materiâ  
 non esse raram, nec fusiis deductam aut condignius  
 elaboratam. Interim tamen occasionem disputationi  
 sat amplam præbet, quippe involvit controver-  
 sias plurimas & quidem difficillimas. Quidquid  
 autem inibi inveneris, pro candore tuo equi bonique  
 consule, & si quid erraverimus, (quanquam nul-  
 lius erroris consciis simus) ob humanitatem nobis-  
 cum communem da veniam; in nullo errare, ir-  
 reprehensibilem, inemendabilemque esse, non hu-  
 manitatis sed divinitatis est, ut loquitur sacratissi-  
 mus

*mus Imperator noster in l. 3. §. 13. C. de vet. jur. encl. Quibus in antecessum dictis ad rem ipsam nos accingimus; Faxit supremus Juris Arbiter Deus, ut omnes nostri conatus in sanctissimi Nomis sui Gloriam, Reipublica incrementum, Proximique auxilium vergant.*



De



# I. N. D. N. J. C.

**E**MUTUO disputaturus, unde *Etymologiae* descendat, multa dicere supersedeo, sufficiat, mutuum ex eo dici quod ex meo fiat tuum. *princ. Inst. quibus mod. re contrah. oblig.* Et vicissim quod ex tuo fiat meum in restitutio-  
ne rei ejusdem generis Ill. Dn. de Fuchs *Inst. quibus mod. re contrah. oblig.* Sitque adeò quædam reciprocatio, hinc dicimus mutuum amorem *l. 1. ff. de donat. int. Vir. & Uxor.* Mutuam pensionem *l. 39. ff. solvit. Matr.* Alii mutuum à Mutatione appellant, inquiunt enim, si quantitas E. G. pecunia mutuò detur, pecunia redditur, & sic pecunia cum pecunia mutatur.

Mutuum etiam vocatur creditum. Sic in l. 19. *Synonymia*.  
§. 1. *ff. h. t.* dicitur. *Si pupillus crediderit i. e. mu-*  
*tuò dederit ; & in d. §. 1. in creditum acceperit i. e.*  
*mutuò acceperit. Non tamen propterea idem es-*  
*se , sed adhuc inter se differre , & quidem ut ge-*  
*nus à specie , assero cum JCto Paulo in l. 2. §. 3.*  
*ff. h. t. plures differentias vid. apud Eundem. d. l. 2.*  
*Commodatum quoque mutuum dicitur. l. 49. §. 2.*  
*de legat. 3. Verùm impropriè. Bicc. in Enucl. C.*  
*I. A. de reb. cred. Thes. 4. nam propriè loquendo*

A                      dis-

discrepant , cum I. in mutuo transferatur Dominium. *princ.* *Inst. quibus mod. re contrah. oblig.* in commodato non item. *l. 9. ff. commod.* imo in hoc nequidem possessio *l. 8. ff. eod.* II. in mutuo non reddatur eadem species , sed tantum res ejusdem Generis. *d. princ.* secus in commodato *d. l. 2. princ.* plures differentias vid. apud Giph. *Inst. quibus mod. re contr. oblig.* quanquam in mutuo si eadem species reddatur mutuanti satisfiat nec conqueri possit, quia satis est , ab initio regulare esse , ut non eadem species restituatur, & per accidens tantum fieri, quod eadem restituatur. Schambogen *Inst. quibus mod. re contr. oblig.* accedit , solius debitoris gratiâ cautum esse , ut re mutuò datâ utatur , si velit : sin autem usus non sit , nihil prohibere quominus eandem reddat dummodo non deteriorem. Præterea mutuo consimile est , cum ob rem vel causam honestam aliquid creditur quod rei vel causæ , intuitu cuius datum est , implemento non secuto , repeti æquum sit ; Lauterbach in Colleg. Theorico-practico ad ff. §. 2. in præmissis ad Tit. de reb. cred. His missis mutuum quotupliciter sumatur , dicendum. Sumitur autem adjectivè , dum dicimus mutuam pecuniam dare. *l. 16. 17. ff. h. t.* & substantivè , cùm mutuum dare legimus in *l. 2. in princ. l. 3. ff. h. t.* & sic substantivè acceptum interdum pro re mutuò datâ, interdum pro obligatione ex contractu descendente , interdum pro ipso contractu sumitur. conf. §. 2. *Inst. de I. N. G. & C.* In quâ posteriore significatione

*Definitio.*

Mutuum rectè definitur , quod sit Contratus nominatus , realis, cùm quantitas alicui datur. eâ

eā lege , ut tantundem in eodem genere reddatur  
 ejusdem bonitatis & qualitatis. Dicitur *nominatus*,  
 quia certum & speciale , aliis contractibus non  
 communicabile , ei à jure tributum est nomen ju-  
 ridicum , sive quod nominatam etiam actionem pro-  
 ducat. *Realis* , non quod in illo res sit necessaria  
 ( sic enim omnes contractus essent reales ) sed quod  
 consistat in facto *V. G.* datione aut numeratione.  
 breviūs : quia non nisi rei traditione perficitur.  
*Quantitas* i. e. res pondere , numero aut mensurā  
 constans , contra Zafium existimantem verbo quan-  
 titatis solam pecuniam contineri , non verò reli-  
 qua mutuam inter se functionem recipientia. Di-  
 citur *datur* i. e. Dominium transfertur. *l. 53. 76 de*  
*V. S. l. 75. §. fin. ff. de verb. obligat.* Tantundem ,  
 quia minus reddendo obligationi ex mutuo non  
 satisficeret , *l. 3. ff. de R. C.* nisi aliter conventum ,  
 nam tunc conventioni standum , cum pacta dent  
 legem contractibus. *l. 1. §. 6. ff. depos. l. 23. ff. de R. I.*  
 & nihil tam fidei humanæ congruat , quām ea ,  
 quæ placuerunt custodire. *l. 1. ff. de pact.* In eodem  
 genere , si enim res alterius generis *E. G.* Vinum  
 pro frumento redderetur , esset potius permutatio.  
 Schneid. *Inst. quibus mod. re contrah. oblig.* accedit  
 quod invito creditori aliud pro alio solvi non pos-  
 sit. *l. 2. §. 1. ff. de R. C. l. 16. C. de solut.* Dicitur de-  
 niique ejusdem bonitatis & qualitatis quia rem dete-  
 riorem reddendo obligationi ex mutuo non satis-  
 fieret ; quamvis expressè ita non convenerit , quia  
 ex naturā mutui id actum intelligitur. *l. 3. ff. h. t.*  
 sed de his latiūs infr. in effect.

Aliqui dividunt mutuum in naturale & Civile, *Dīfīto.*

A 2 &

& utrumque iterum in purum, & in mixtum; naturale purum seu merè naturale dicunt, cùm Titius V. G. suo nomine mutuat Cajo; naturale mixtum seu naturale cui Jus Civile cooperatur, cùm Titius nomine Caji mutuat sempronio. Civile purum vocant, quando quis spe futuræ numerationis in dato chirographo fatetur, sibi pecuniam fuisse numeratam, quæ tamen non fuit. Civile mixtum, si quis per stipulationem promittat, alteri dare certam pecuniæ summam, & illam stipulationem incontinenti sequatur numeratio. Alii dividunt Mutuum in Verum & præsumptum. Sed unicum tantùm, quod nimirum re interveniente & rei traditione perficitur, agnosco; sunt quidem qui statuunt improprium mutuum, quodque ab initio non erat mutuum conciliari, consumptione e. g. si pupillus Titio det 100. mutuò, ajunt, non est statim mutuum, sed tum demum, si isti centum consumpti fuerint. Ita etiam huc referunt mixtionem alienæ pecuniæ; sed vid. omnino C. I. A. thes. 35. & Gyp. cit. loc. Sunt & qui in gratuitum & fœneratitium dividunt mutuum, sed hæc divisio est ab accidenti; atque jure Romano ex se & sua natura mutuum gratuitum erat vid. Laut. §. 9.

*Causa efficiens remota.  
proxima.*

Hic mutui contractus introductus est Jure Gentium. §. 2. *in fin. Inst. de I. N. G. & C.* ipsum verò mutuum contrahitur re ex consensu traditâ. *princ. Inst. quibus mod. re contr. oblig.* dico re ex consensu traditâ, & rectè: ad denotandum nempe unum sine altero mutuum non facere. itaque si res tradatur, contrahentium tamen super mutuo celebrando non concurrente consensu, mutuum non

non fit *l. 32. ff. h. t.* sicut nec quilibet alias contractus hoc deficiente perficitur. *l. 2. 55. ff. de O. & A.* nec semper sufficit unius vel alterius, sed omnium quorum interest, consensus desideratur, unde si socius suam propriam pecuniam animo credendi numeret, recte mutuum contrahit, si communem, non aliter quam si socii consentiant, quia suæ tantum partis alienationem habet. *l. 16. ff. h. t.* eodem modo si adsit consensus in mutuum non interveniente rei traditione, mutuum non contrahitur, sic si quis promittat se mutuò daturum, mutuum nondum est sed tantum pactum de mutuo contrahendo. *l. 30. ff. h. t.* quæ traditio de strictâ juris ratione vera quidem & naturalis esse debet. *l. 15. ff. h. t. l. 34. ff. mand.* interdum tamen etiam ex benignâ æquitate perficitur per fictionem scil. brevis manus. *l. 43. §. 1. ff. de jur. dot.* vera & naturalis traditio est, quando res accipienti revera traditur. illa, quæ fit per fictionem brevis manus, est, quando res revera non traditur, sed ac si tradita esset, fingitur: quod declaratur in hoc exemplo: deposui apud te pallium, postea illud titulo donationis à me acquiris, non est opus, ut pallium accipiam & denuo tradam, sed sufficit quod velim & patiar esse tuum. & hoc in genere de traditione per fictionem brevis manus contingente. in specie verò traditionem hanc Bachovius §. 44. *Inst. de R. D.* ad tres modos revocat. *arg. d. l. 15. ff. h. t.* 1. si fiat in unâ personâ, ut si pecunia ex mandato debita pacto mutua fiat. *d. l. 15.* 2. in duabus personis, ut si Titio dem lancem ut eam vendat, & nummis ex venditione redactis tanquam mutuis utatur. *l. 11. princ. ff. eod.* 3. in tribus personis,

ut si debitor alteri mutui constituendi gratiâ solvat.  
d. l. 15. ff. h. t. l. 34. verb. item quod. ff. mand.

**Forma.**

Forma hujus contractus in eo consistit, quod res fungibilis eâ lege utenda detur, ut accipiens ad rem in eodem genere, quantitate & qualitate restituendam obligetur. ut supr. in definit. mutui latius expositum. addo hic unicum, cur nimirum, ut obligetur, ad formam spectet; & est ratio hæc, quia si quis exsolvendi non obligandi alterius causâ daret, mutuum non contraheret. arg. l. 19. princ. ff. de reb. cred. §. 1. Inst. quib. mod. re contr. oblig. cum actus non operetur ultra agentis intentionem. l. 4. ff. h. t. quantumcunque etiam favorabilis. arg. l. 14. ff. de legat. 2.

**Objectum.**

Quoniam in definitione mutui sup. datâ obiter tantum dictum, mutuum consistere in quantitate, ideo hoc loco paulò fusiùs de eo tractare convenit. Mutuum consistit in quantitate i. e. ut supra, in rebus pondere, numero aut mensura constantibus, quales sunt E. G. argentum infectum, quod ponderatur, pecunia, quæ numeratur, frumenta, quæ mensurantur: Quæ res ideo nomine quantitatis vniunt, quod in his non corpora ponderata &c. considerentur, sed tantum quantitas i. e. quantum ponderatum &c. quod intelligas, velim, in ordine ad obligationem non quoad solutionem, in hac enim indubitanter etiam corpora spectanda, ut constet, an Mutuatarius suæ obligationi satisfaciat in reddendo, an nimirum corpus quod reddit sit ejusdem Bonitatis & qualitatis, cuius fuit illud, quod mutuò accepit: Et hæ res uno verbo appellantur fungibles, seu naturâ suâ mutuam functionem recipientes

pientes i. e. tales esse dicuntur, ut una tantum præstet, quantum altera, in una tantum utilitatis- & commoditatis sit, quantum in altera Schambogen *cit. loc.* dicuntur autem res pondere, numero, mensurâ constare, quæ non aliter in commercium nostrum venire, discerni, determinari & certa species seu individuum fieri possunt, quam si appendantur, admetiantur vel adnumerentur. Hahnus ad Wesenb. *h. t. num. 9.* Struv. in suâ Jur. prud. *lib. 3. tit. 4. aphor. 5.* Non omnes tamen res quæ numerari &c. possunt, sunt materia mutui, sed sub eo modo considerandi, quatenus sunt fungibles. aliqui nihil ferè esset, quod mutuò dari non posset. Vinn. *Inst. quibus mod. re contr. oblig. num. 2.* Ex quibus fluit, in rebus in suo genere functionem non recipientibus nos in creditum ire non posse; proinde si Equus E. G. alicui detur ut in eodem genere restituatur aliis, mutuum non contrahitur, sed permutatio; nec enim equus functionem recipit in genere, siquidem animalia propriâ quadam partim naturæ partim artis vi ac qualitate constant, quâ inter se ita differunt, ut, quamvis in eodem numero dentur vel reddantur, ejusdem tamen pretii aut bonitatis non sint. Struv. *cit. loc. conf. quoque Wesenb. ff. h. t.* huc facit quæstio illa, an panes mutuò dari possint. Glossa in *l. 2. §. 1. h. t.* negat, panes ad numerum mutuò dari posse. quod Alii contra simpliciter affirmant, negant vero Alii etiam simpliciter. Nos distinguendum putamus cum Bart. in *d. l. 2. §. 1.* vel panes definitum pondus habent & in iis mutuum consistere potest ad numerum. vel non habent, & in iis consistere potest

est non nisi ad pondus. In tractatione objecti ultimò Quæres, an possit dici mutuum contrahi, si Quis speciem E. G. aureum annulum alteri det, ut illum vendat & pecuniam inde redactam habeat mutuam. controvertitur hic inter Africanum & Ulpianum. Africanus in l. 34. *in fine princ. ff. mandati* negat. pro Negativâ est ratio, quod pecunia ex venditione annuli redacta nunquam fuerit mutuantis, ut videatur obstare ratio nominis. Ulpianus verò in l. II. *in princ. ff. h. t.* affirmat. pro affirmativâ est ratio, quod, licet pecunia ex distractione annuli proveniens nunquam fuerit mutuantis, tamen intuitu ejus ad Mutuatarium pervenerit. Non male conciliaveris, si priorem de Rigore Juris, posteriorem de æquitate intelligendam esse dixeris. Zöef. *in ff. h. t. num. 9.* Schamb. *cit. loc.* Nisi malis cum Wurmser. *Nucl. Jur. controv. lib. 3. tit. 15. controv. 7.* casum l. II. ita formare, ut dominus aureum e. g. annulum ita vendendum dederit, ut pecunia accepta statim esset mutua, nec adferretur prius Domino; casum verò l. 34. ita, ut vendendum dederit, ut pecunia inde redacta domino prius afferretur, ut deinde demum mandatario ex arbitrio suo eam mutuò daret.

*Subiectum  
ad ius.*

Cum mutui datio ex genere permissorum sit, igitur omnes illi mutuò dare possunt, qui non impediuntur naturâ vel non prohibentur lege. *arg. l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. l. 43. §. 1. ff. de procur.* prioris generis sunt infantes, furiosi, mentecapti, hi enim utpote intellectu carentes, & sic consentire non valentes nullum negotium quod consensum requirit, validè celebrant. *l. 24. pr. de o. & A. consequenter nec.*

nec mutuum dare possunt. de furioso id specialiter cautum reperitur in *l. 12. princ. ff. de reb. cred.* In mentecapto eadem militat ratio naturalis. posterioris generis sunt. 1. Pupilli infantia majores, quibus sine Tutoris authoritate mutuum dare interdicitur. *l. 19. §. 1. ff. b. t.* quod quidam intelligunt, ut ab initio subsistat, nam ex postfacto consumptione conciliari, qua de re dixi *sup. in divis.* 2. prodigi non ethicè sed juridicè tales. *l. 6. ff. de V. O. l. 3. C. de in integr. rest.* 3. Minores sub curâ constituti, his enim bonorum administratio adempta est, ergo eorum alienatio, ergo & mutui datio, cum mutuum per metonymiam dicatur alienatio. *Hahn. ad Wesenb. num. 13.* idque ex dupli capite. 1. quia in omni mutui datione est actus, quo Dominium transfertur, atqui talis actus est alienatio. *l. pen. ff. b. t. princ. Inst. quib. mod. re contr. oblig.* 2. quia ubi dominium non transfertur, non est mutuum. *l. 2. §. 2. ff. b. t.* 4. prohibetur filius fam. licet liberam peculii administrationem habeat. *l. 3. §. 2. de SC. Maced.* facit, quod perdere ei peculium pater non concedat, solam ejus administrationem concredendo; & ideo nummorum vindicatio patri supereft. *d. §. 2. de SC. Maced.* Si tamen studiorum caufâ Romæ agens viaticum suum mutuum daret, extraordinario seu ut *l. 18. §. 1. de jud.* habet, utili judicio ipsi subveniendum foret. *l. 17. ff. de reb. cred.* postremò prohibitorum numero accensentur Præsides provinciarum. *l. 33. ff. b. t.* ex hac specialitatis ratione, ne facile suâ potestate abutantur & provincialibus invitis quid extorqueant, quæ tamen prohibitio hodie non observatur. *Brunnem. ad l. 3. C. si certum pet. Grænev.*

B

ad

*ad l. i. C. de contr. jud.* Ex eo, quod dixi de ademptâ scil. administratione bonorum, concludes universaliter, præterquam quod mutuare volens rei mutuò dandæ dominus sit juxta l. 2. §. 4. ff. h. t. requiri etiam, ut liberam rerum suarum administrationem habeat, nam hac ademptâ, licet Domini simus, non mutuamus, id quod patet in pupillo &c. ut sup. add. C. I. A. thes. 5.

*Subiectum  
passivum.*

Cùm mutuum accipere sit etiam ex genere permissorum, hinc id accipiunt qui non impediuntur ut infantes, furiosi & mentecapti ex identitate rationis sup. in sub act. allegatæ. nec prohibentur, ut pupilli infantia majores sine Tutoris authoritate. l. 19. §. 1. ff. h. t. ita ut ex ejus acceptione nequidem naturaliter obligentur. l. 59. ff. de oblig. & act. Prodigi pariter mutuum accipere non possunt, quia in hoc passu ejusdem juris sunt cum pupillis. l. 9. §. 7. ff. h. t. & cum furiosis. l. 6. ff. de V. O. Filius fam. accipiendo mutuum obligatur naturaliter & civiliter : naturaliter, quia aliàs locupletaretur cum alterius jacturâ, quod naturâ iniquum. l. 206. ff. de R. I. l. 14. ff. de condic. indeb. adhoc à Paulo in l. 10. ff. de SC. Maced. exp. essè traditum est, illum ex mutuo obligari naturaliter. Civiliter, quia ipso jure in eum datur actio, quemadmodum exinde constat, ipsi à Creditore con. vento dari exceptionem SC. Maced. quæ certè non daretur nec alia quæcunque, nisi actio competeteret, exceptio enim est actionis exclusio. l. 2. ff. de except. si ergo actio non daretur quomodo possit excludi, cum privatio, ut ajunt philosophi, semper præsupponat habitum. Reliqui qui nec impediuntur nec prohibentur pro libero arbitrio suo mutuum dare atque

atque accipere possunt , & non tantum ipsi sed etiam  
alii eorum nomine , ita ut ipsis mandantibus inde  
immediatè obligatio acquiratur . Sed quid sentien-  
dum de Civitatibus ? Videri posset , eas mutui inca-  
paces , quia consentire non possunt , per l. i. §. ult.  
de A. vel O. P. & l. ult. ff. de Libert. Univ. sed & has  
mutuum accipere posse , & exinde obligari  
manifesti juris est per l. 27. ff. b. t. circa posterius  
tamen membrum distinguendum , an Civitas ipsa  
scil. vel communi Civium consensu vel per eos pe-  
nes quos est regimen totius Civitatis proprio nomine  
mutuum acceperit ; an verò Civitatis simplices tan-  
tum administratores creditum acceperint . primo ca-  
su Civitas efficaciter obligatur etiamsi versio in ejus  
utilitatem non probetur . arg. c. pen. x. de fidejuss. se-  
cundo non aliter tenetur quam si versio probetur .  
d. l. 27. adeoque versione non facta & probata soli  
administratores tenentur , finito etiam officio l. 3.  
§. 2. ff. de adm. rer. ad Civit. pert. l. 15. C. de adm.  
Tut. non ipsa Civitas Ratio hujus juris singularis vi-  
detur querenda in favore Civitatum , quæ certe  
alias innumerabilibus captionibus expositæ essent .  
Creditori ergo præ cautelâ sit , ut administratores in  
instrumento obligationis exceptioni de pecunia non  
in rem Civitatis versâ non tantum renuntiare , ve-  
rûm etiam in eo specificè exprimere faciat , cui Ci-  
vitatis necessitati impendenda sit pecunia . Præter-  
ea attendat creditor , an revera in illos usus impen-  
datur , quo versionem probare possit , quæ probatio  
facilior erit , si in instrumento obligationis sit ex-  
pressum , cui Civitatis usui pecunia sit impensa .

Celeberrimus Dn. D. Stryk caut. contract. sect. 2. cap. I.  
§. 3.

## Effectus 1.

Inter effectus mutui primum obtinet locum obligatio quâ debitor seu is qui mutuum accepit adstringitur ad restituendam rem , non quidem speciem eandem , quam accepit , sed aliam ejusdem generis. ita enim à JCto Paulo traditum est in l. 2. ff. h. t. dum dicit , *mutuum damus recepturi non eandem speciem quam dedimus , sed idem genus.* non tamen sufficit in eodem genere fieri restitutionem , verùm præterea in eadem quantitate & qualitate fiat necesse est. l. 3. ff. eod. facit , quod res mutuò accepta in pari pondere , pari numero & pari mensurâ rei mutuò acceptæ necessariò æquivalere debeat , non posset autem esse æquivalentia , nisi restitutio esset ejusdem generis , quantitatis & qualitatis. quod de frumento & Vino extra controvèrsiam. de pecuniâ verò numeratâ lis est. quidam enim eam in specie ut 100. ducatos in specie mutuò datos in specie restituendos volunt , dicentes , in d. l. 3. pecuniam à cæteris in mutuum cadentibus rebus non separari , sed JCtum Pomponium loqui generaliter in verb. *Quid* , & propterea verba JCTi generaliter quoque accipienda esse & intelligenda , pergentes , ubi enim lex non distinguit nec nostrum est distinguere. l. 2. §. 5. ff. de vibon.rapt. l. II. C. mand. Alii verò probabiliùs sufficere dicunt , si debitor alterius formæ & materiae nummos , probos tamen restituat ; quia in nummis non tam spectatur materia , quàm æstimatio publica secundùm quam usum sui præbent. l. I. in fin. de contrah. empt. ut censeatur reddi idem , non quoad corpora , sed quantitatē

tem creditam. l. 94. §. 1. ff. de solut. Lauterbach in Colleg. Theorico-practico ad ff. §. 32. de reb. cred. Zoëf. ff. h. t. num. 23. Schamb. cit. loc. neque obstant ab Adversariis in contrarium allegata , nam & in regula juris : *rem in eodem genere esse restituendam*, nihil hic mutari, sed distinctionem unicè provenire à diversitate objecti , cum in pecunia *idem genus* eundem valorem videatur respicere. Limitant tamen, nisi aliter conventum , quod servandum, cum contractus ex conventione legem accipient. l. 1. §. 6. ff. depos. vel nisi creditor inde aliquod sentiat damnum. l. 99. ff. de solut. atque hinc pendet decisio nobilissimæ quæstionis , si post contractum æstimatio nummorum aucta vel diminuta fuerit , an in solutione faciendâ spectandus sit valor quem habebant tempore contractus , an qui est tempore solutionis. verùm ante decisionis positionem duo sunt præmunienda. *Primum*, monetam considerari secundūm bonitatem intrinsecam & extrinsecam. *Secundum*, monetam secundūm utramque bonitatem mutari. & sive intrinseca monetæ bonitas seu materia ipsa ex quâ cuditur **Schrott und Korn** / sive extrinseca seu valor & æstimatio der Werth / mutetur , spectandus erit valor quem nummi habebant tempore contractus , quia sola æstimatio in pecuniâ signatâ consideranda , totaque ejus bonitas in hac ipsâ æstimatione consistit juxta d. l. 1. de contr. empt. igitur inter contrahentes id actum censetur , ut pecunia restituatur ejusdem æstimationis non autem majoris neque minoris. Proinde si aucta sit , debitor augmentum detrahet , sin vero diminuta , illud quod deest , supplebit. quod autem dictum .

B 3

rem

rem eandem esse restituendam , non est perpetuum , nam si res eadem amplius reperiri non possit , ita ut debitor ejus reddendæ facultatem non habeat , æstimatione defungitur i. e. æstimationem præstando liberatur . l. 10. §. 6. ff. de jur. dot. quæ præstanta venit aut jure actionis , quando ea à contrahentibus in obligationem deducta est puta cum quis eam stipulatus sit , aut venit officio judicis , quando res ipsa in obligationem deducta præstari non potest , ita ut officio Judicis in ejus locum succedat æstimatio . Vinn. lib. 1. select. quæst. cap. 39. ad quodnam autem tempus referenda æstimatio pulchrè exponit Vinn. ibidem , quem vid.

## Effectus 2.

Definit. aet.  
ex mut.

Ex dictâ hactenus obligatione utpote efficaci ad producendam actionem , oritur effectus alias , actio scil. quæ vocatur condic̄tio certi. princ. Inst. quibus mod. re contr. oblig. & licet in d. princ. simpliciter conditionis fiat mentio , id tamen de conditione certi intelligendum est juxta l. certi condic̄tio 9. in

princ. ff. b. t. Quæ definitur , quod sit actio personalis , civilis , perpetua , stricti juris , competens illis qui mutuò dederunt , eorumque hæredibus , adversus eos qui mutuò acceperunt , eorumque hæredes , ut res credita in eodem genere , ejusdem quantitatis & qualitatis restituatur. dicitur personalis . quia oritur ex jure ad rem sive obligatione , deinde quia omnes conditiones sunt personales . Civilis . quia orta est ex Jure Civili . perpetua . pr. Inst. de perpet. & temp. act. stricti juris . arg. §. 28. Inst. de act. hinc in hâc actione judex quantitati petitæ deservire cogitur , neque ab eâ recedere vel augendo vel minuendo potest . l. 4. ff. de eo quod cert. loc. eorumque

rumque hæredibus, quia non tantum nobis sed etiam  
 hæredibus nostris contrahimus. eorumque hæredes.  
 quia non tantum nos sed etiam hæredes nostros ob-  
 ligatos relinquimus. dicitur denique *res credita*, quia  
 hæc tantum condicione certi petitur, non etiam  
 interesse, proinde erroneam pronuntiamus opinio-  
 nem existimantium hac actione etiam interesse pe-  
 ti posse: hoc moti, quia nempe condicione cer-  
 ti ex mutuo certum semper petitur, interesse au-  
 tem est incertum, indeterminatum §. fin. *Inst. de V.*  
*O. l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest.* petetur  
 igitur actione incerti. *C. I. A. thes. 31.* ubi pro meliori  
 notitiâ observa, condicitionem ab objecto dividi in  
 condicitionem certi & incerti, illa est, quâ certum,  
 hæc, quâ incertum quid condicimus. *JCtus Paulus*  
 in *l. 6. ff. b. t.* certum vocat id, cuius species vel  
 quantitas quæ in obligatione versatur, aut nomine  
 suo aut eâ demonstratione, quæ nominis vice fun-  
 gitur, qualis quantaque sit, ostenditur. *clariùs &*  
*breviùs Cajus* in *l. 74. ff. de verb. obligat.* describit,  
 certum esse, de quo appareat, quid, quale, quan-  
 tumque sit id de quo agitur; ( unde appareat,  
 dictis non obstare, quod in mutuo res reddatur in  
 genere, genus autem esse aliquid incerti per *l. 30. §. 5. ff.*  
*ad L. Falcid.*) & in *l. 75. in princ.* incertum, de quo  
 non sic appareat. Cæterum hic disquiri meretur,  
 utrum ea condicatio specialis sit, an generalis i. e.  
 utrum ea condicatio certi ex mutuo propriam &  
 distinctam naturam ab aliis certi condicitionibus  
 habeat; an verò sit ejusdem naturæ in genere cum  
 cæteris, & cum his, ex quacunque licet causâ com-  
 petant, sub communi genere condicitionis certi con-  
 tineantur.

tineatur ; prius olim voluerunt JCti Citramontani ( i. e. Itali ) posterius Ultramontani ( i. e. Galli & Germani ) quorum Ultramontanorum sententiam utpote veritati conformiorem approbamus per l. 9. pr. ff. h. t. facit , quod nulla illius duplicitatis in Jure fiat mentio , & nulla condictionis ex mutuo diversitas dari possit essentialis , quâ à condictione generali , quæ ex causâ legati , L. Aquiliæ , ex causâ furtivâ &c. datur , distingui queat , siquidem illa eandem agendi caufam ( Quod Bartolus , ut refert Vinn. Inst. h. medium concludendi vocat ) habet , & moveri non potest , nisi causa petendi e. g. quod ex legato vel L. Aquiliâ certum debeatur , sit allegata. Franzk. ff. num. 31. & seq. add. Hahn. ad Wesenb. num. 14. Vinn. Inst. quib. mod. re contr. oblig. num. 15.

*accessoria.*

Ad adminicula & accessoria mutui spectant pæta. vid. l. 10. C. de pact. quibus agitur , ut potius hoc vel illo loco , aut magis hoc quâm alio tempore restitutio rei creditæ fiat. ut l. 22. ff. de reb. cred. item ut minus debeatur quâm datum fit , non etiam ut plus l. 11. §. 1. ff. eod. quia mutuum est contractus stricti juris , cui pactum adjectum non auget sed minuit obligationem , ideoque inest à parte rei , non verò à parte actoris. quod adeò verum est ut id quod superest nec nomine usurarum peti possit , quæ in contractibus stricti juris ex pacto non debentur. l. 3. C. de usur. nec nomine donationis , cuius tamen ratio , non quod donatio pacto facta jure novo non valeat , ut malè Nonnulli sentiunt contra l. 35. §. 5. C. de donat. sed quod de donatione nil actum & sic actus ultra intentionem agentium nihil operari possit.

possit. Si verò per stipulationem plus promitteretur , plus deberetur. *l. 1. 3. C. de usur.* hæc enim singularem habet formam & ex se valet. & illud plus per actionem peti posset non tanquam ex mutuo sed stipulatione. per pactum tamen plus promissum & solutum ut indebitum non repetitur. *arg. d. l. 3. C. de usur.* item ut conditio adjiciatur , quæcunque enim stipulationibus inseri , ea quoque mutui dationi adjici possunt. *l. 7. 8. ff. b. t. l. 15. C. de usur.* ad eum scil. effectum ut mutuum suspendatur , hinc intelligenda conditio propria seu in futurum relata , nam hæc suspendit mutuum , impropria seu in præsens aut præteritum tempus concepta non item. *l. 37. ff. b. t.* cum impropria aut statim perimat obligacionem aut omnino non differat. *l. 100. ff. de V.O.* perimit , si ita non sit : non differt , si ita sit. *C. I. A. thes. 20.* Interdum ad mutui dationem accedit pignus. *l. 4. §. 1. l. 41. ff. b. t.* quod soluto debito restituendum debitori. *d. §. 1.* & licet creditor pignus pro debito insufficiens acciperet , tamen totum debitum exigere posset. *l. 28. ff. eod.* postquam jam pignus accessit , adhuc plura subinde apponuntur pacta : inter famosiora sunt pactum antichreseos , & pactum commissorum. pactum antichreseos est pactum inter creditorem & debitorem , ut creditor tam diu pignore uti & fructus ejus lucrari possit , qui aliàs in sortem imputandi essent. *l. 1. C. de pignorat. act.* usque dum creditori solvatur à debitore. hoc pactum de Jure Civili licetè apponitur. *l. 33. ff. de pignorat. act. l. 14. 17. C. de usur.* ratio ponitur in incertitudine fructuum & compensatione legitimarum usurarum *l. II. §. 1. ff. de pignor. & hypoth. de*

C

Jure

Jure Canonico verò illicitum est , in quantum fructus excedunt lucrum cessans & damnum emergens. *cap. 6. x. de pignorib. conf. cap. 1. de usur.* Pactum commissorum , quod quidam fiduciam vel legem fiduciæ indigitant. Borcholten *de feudis cap. 1. num. 17.* est pactum quo inter creditorem & debitorem convenit , ut præfixâ die debito non soluto pignus committatur i. e. pleno jure creditori acquiratur. hoc pactum non tantùm Jure Civili per *l. fin. C. de pact. pignor.* Canonico per *cap. 7. x. de pignorib.* sed etiam feudalí per *cap. un. princ. I. F. 27.* prohibitum est. ratio prohibitionis est , tum quod subsit grave detrimentum debitoris , à quo utpote in necessitate constituto & sic facilè in hanc duram conditionem consentiente , non rarò res multò pluris debito valentes pignori supponuntur , tum quod creditoris calliditate legitimo usurarum modo fraud fiat. ita ut nec hodie valeat. *Ord. Imp. Polit. de anno 1577. tit. 20.* **Bon Iuden und ihrem Bucher.** §. und dierweil licet ex intervallo sit additum. *arg. d. l. fin. C. de pact. pignor.* Quandoque etiam fidejussor. *l. 26. ff. eod.* qui solutione à debitore factâ liberatur , extinctâ enim obligatione principali extinguitur & accessoria.

*usura an li.  
sita.*

*Jure natu-  
rali.*

Dixi supra in definitione mutui *tantundem.* ergo usuræ ex mutuo non debentur ? antequam Respondeatur videndum , an & quo jure sint licitæ vel prohibitæ. Jure naturali eas esse prohibitæ Authorum hoc volentium , illorum nempe quos legi , nam de cæteris judicare nequeo , rationibns non convincor ; quia adeò fortes non sunt , ut non refelli & sic assensum extorquere possint. præcipuas Eorum rationes

rationes brevitatis causâ duas tantùm refero, quæ facilè resolvendæ. *Prima est* pecuniam esse rem sterilem, pròinde Jure naturali iniquum, ex eâ ultra datam lucrum facere: verùm Responderi potest; licet nummus nummum non generet, tamen, postquam in eum pretium eminens fuit collatum mediante industriâ hominum, redditus fuit utique fœcundissimus, ita ut pro eo res naturaliter & civili ter fructiferæ comparari possint. *Secunda. usuris* absorberi hominum fortunas, dum hi pecuniis mutuò sub usuris acceptis tandem ad summam inopiam redigantur, nova semper debita contrahentes. Ad hanc rationem Responderi potest eâ potius contrarium ostendi; nam ubi homines sciunt se in contrahendo mutuo usuras solvere debere, non tam facilè ad id sumendum adducuntur, sed cum bonis suis cautiùs mercari satagunt. Quæ Respon sio non multum abit à sententia illorum, qui judicant è bono Reipublicæ esse, ut sub usuris nemini credatur nisi Mercatoribus: hoc modo enim pauperum industria augebitur, iisque ad frugalitatem compellentur, qui per æs alienum superfluos sumptus tolerare non erubescunt; divites autem dum nolunt pecunias suas jacere steriles, aut ipsi mercaturæ sese addicent, aut eas Mercatoribus credent, quo ipso commercia non sine magno Reipublicæ emolumento gliscent. Neque posteriori Responsioni obstat, egenos solere mutuò accipere qui cum bona nulla habeant, cum iis mercari non possunt; quia si jam sint egeni, non possunt amplius egeni fieri, & sic ratio, ne scil. ad inopiam redigantur,

C 2

cadit.

cadit. Juvat hanc Respcionem , quod , licet naturâ æquum sit , imo lex charitatis erga proximum requirat , ut egenis subveniamus , Jus tamen naturæ etiam æquum censeat , ut aliquid respondens lucro quod alter præsertim talis , qui non tam necessitatis quâm lucrificiendi causâ mutuatur , ex re nostrâ capit , vel nos ipsi interea ex eâ capere potuissemus , exigere liceat. Neque prohibitas esse Jure divino , defendi posset. non obstante Ezechiel. c. 18. vers. 8. ubi dicitur : *qui ad usuram non commodaverit & amplius non acceperit hic justus est & vitâ vivet.* nec obstante Psalm. 14. ubi legitur : *eum habitaturum in tabernaculo Domini , qui pecuniam suam non dederit ad usuram.* neque obstante Luc. 6. cap. vers. 35. ubi ait Christus : *mutuum date nihil inde sperantes ;* non obstantibus his versibus , inquam , quia intelligi possent de usuris mordacibus seu mordentibus. Neque usuras Jure Canonico plane absolute & omnimodè prohibitas esse , asseri posset , non obstante cap. 4. de usur. quia & hoc de mordacibus explicari posset. atque etsi usuræ jure Can. inter crimina computentur ; admittuntur tamen e.g. *reditus annui redimibiles* qui eandem fere utilitatem recipienti præstant , quam usuræ. Jure Civili verò eas esse licitas patet ex innumeris locis. in primis Jure Digestorum ex l. 29. ff. de usur. Jure Codicis ex l. 2. C. b. t. Jure Novellarum ex Nov. 121. cap. 1. Jure hodierno & constitutionibus Imperii ex Ord. in Imp. de anno 1548. & 1577. tit. *Von sylcherlichen Contracten.* Recess. deput. de anno 1600. §. so viel nun. His expositis ad Quæstionem R. usuras ex mutuo deberi omnino hodierno jure Germano-

Divino.

Canonicco.

Civili.

Germanico etsi ne verbulum quidem additum sit; insunt enim per se mutuo, ita ut actione mutui regulariter peti possint vid. Celeberr. Dn. D. Schilt. Exerc. 22. th. 14. Jure Romano autem cum mutuum sit regulariter gratuitum, usuræ non debentur nisi ex stipulatu aut mora; vid. tamen l. 10. C. de usur. l. 23. eod.

Ad Affinia pertinent *Mohatra*, quod barbarum vocabulum est, ab Hispanis originem trahens. est autem Mohatra contractus, quo quis pecuniâ indigenti certas merces cariori pretio credit, quas ille mox vilius vendere tenetur, quo pecuniam consequatur. huc etiam refertur *contractus vitalius*, qui est *contractus*, in quo quotannis 10. 16. imo maiorem quandoque quantitatem pro centum petere licet. qui *contractus* in se nihil vitii habet, & ab usurariâ pravitate excusatur ex eo, quod sors morte Creditoris pereat, in cuius compensationem eò majores usuræ quotannis præstari possunt. porro se sistunt *Montes Pietatis*, qui modis subveniendi pauperibus annumerantur. fiunt autem tales tunc, si magna pecuniæ quantitas à ditioribus sive donatione inter vivos sive ultimâ voluntate in commune conferatur, eum in finem ut mutuum inde datis pignoribus pauperes capere possint. apud quos sic constitutos sequentes conditiones requiruntur. 1. ut ex hac pecuniâ succurratur pauperibus non verò divitibus. 2. ad certum tempus. 3. ut detur pignus idoneum. 4. ut singulis mensibus modicum solvatur pro sustentatione Ministrorum, quibus Montium horum cura commissa, & ita nihil exigatur sub nomine usurarum sed

tantum impensarum. s. ut præfigatur certum tempus, intra quod pignus luendum, quod si intra illud non fiat, pignus distrahatur, & quod ex pretio, sorte detractâ & monti restitutâ menstruoque augmento superfluum, debitoribus reddatur. ita in term. *Celeberrimus Dn. D. Stryk cit. loc. §. 31. & seqq.* sunt, qui hos Montes pietatis aliter æstimant, illos montes impietatis nominando, sed nimis imbecillibus fundamentis probatoriis innixi id calumniosè faciunt. dico imbecillis, si enim fortiora & firmiora essent, in præsenti illa vel refutare conarer, vel ipse illos montes impietatis forsan arguerem. Illos, si recensitæ conditiones observentur ipsemet *Celeb. Dn. D. Stryk cit. loc.* ab impietate absolvit, quod sanè utpote Augustanæ Religionis Fautor non fecisset, si quid impii in illis latitare deprehendisset. Ultimatim circa istos montes nota, quod ad tres scutatos pauperibus detur sine pignore & præstatione menstruâ, pro amplioribus verò summis tantùm caveatur prædicto modo. *Pufend. de J. N. & G. lib. 5. cap. 7. §. 12.*

*Contraria.*

Vitiatur mutuum quemadmodum omnes alii contractus errore & dissensu qui inter contrahentes intercessit, veluti si Ego quasi donatus tibi dem Tu quasi mutuum accipias, aut vicissim si Ego quasi mutuum dedero, Tu quasi donatum acceperis, neque mutuum neque donatio est. *I. 18. ff. de reb. cred.* ita ut nummi solventis maneant, & ab accipiente vindicari, aut si consumpti fuerint, condicione sine causâ repeti possint *d. l. 18.* inter hujus contractûs contraria quoque referuntur variæ exceptiones ut doli mali *I. 2. § 3. in fin. ff. de dol. mal. except.* pacti sive ea sit perpetua & peremptoria sive dilatoria. *§. 9. 10. Inst. de except. exceptio*

*Exc. non  
num. pec.*

ceptio non numeratae pecuniae. § 2. *Inst. de except.* quæ exceptio cum à tractantibus materiam Mutui plerumque simul exponi soleat, idcirco & Ego morem illorum non repudians breviter quantum temporis ratio permittet, id faciam incipiens ab ipso nomine cum secundum Platonem nomen sit instrumentum Didascalicum habens vim instructivam & à quo omnis materiae tela inchoanda est.

Nominatur autem vulgo exceptio non numeratae pecuniae, sed rectius dicetur querela, quia non tantum permodum exceptionis verum etiam replicationis, imo actionis proponi potest. permodum exceptionis proponitur, si ipse, qui pecuniam quam non accepit, se accepisse confessus est, conveniatur, ad actionem contra se institutam elidendam; permodum replicationis proponitur contra apocham creditoris; permodum actionis, mediante condicione; potest enim ille qui dedit chirographum intra bienium id condicere i. e. repetere condicione sine causa aut condicione ob causam dati causâ non secutâ.

*I. 7. C. de non num. pec. I. fin. C. de condic. ex leg.*

Definitur hæc querela, quod sit remedium juris, *Definit.* quo quis pecuniam quam spe futuræ numerationi accepisse confessus est, se non accepisse queritur; datur illi, qui spe futuræ numerationis confessus est, se aliquid accepisse, quod tamen non accepit, ejusque hæredi. *I. 8. 14. princ. C. de non num. pec. adversus* *passiv.* illos, quibus spe futuræ numerationis chirographum confessionis de factâ numeratione traditum est, eorumque hæredes *d. I. 8. C. ad hoc*, ut patefiat numerationem non esse secutam, ideoque omnia facta pro non factis habenda & retractanda. Hæc querela regular-

gulariter habet locum contra omnes confessiones scil. in omnibus negotiis, in quibus quis spe futuræ numerationis aliquid accepisse confessus est. d. l. 14. 15. C. eod. Carpz. p. 1. const. 32. def. 68. illam ad solam mutui & dotis promissio nem restringit excludendo alios contractus sed luculenter refutatur per. dd. l. 14. 15. C. habet etiam locum inter Mercatores contra Berlich. qui part. 2. decis. 204. & Vasquium qui illustr. controversial. 33. num. 24. contrariantur. Quorum contrariam opinionem refutatam vide apud cit. Lauterbach. in Colleg. Theorico-practico ad ff. §. 62. de reb. cred. Cujus opinioni utpote analogiæ juris congruæ tamdiu standum, donec locali consuetudine ea mutata doceatur. An in cambiis locum habeat, deducit Lauterbach ibid. §. 64. olim propo nenda erat intra quinquennium. §. un. Inst. de lit. oblig. d. l. 14. in princ. C. de non num. pec. hodie verò intra biennium. d. §. un. & d. l. 14. cujus coarctationis ratio exprimitur in d. §. un. ne scil. creditores suis pecuniis diutius defraudari possint. Sed an ea post biennium à debitore opponi possit, si negativam probare i. e. si probare velit, numerationem non esse factam; gravissimè controvertitur inter DD. æquior tamen est sententia ut etiam post biennium debitor audiatur, si paratus sit ostendere numerationem sibi non factam: quam sententiam usu forensi receptam esse testantur Vinn. select. quest. lib. 1. cap. 41. Hieron. Setser disp. ad Inst. 22. thes. ult. lit. G. Gomez. 2. resolut. 6. num. 7. Christin. vol. 3. decis. 37.

Denique ut res ad necessitatem vitæ opportunæ, in quarum consumptione usus est, inter homines communicentur, aliisque aliorum auxilio benignè gaudeant, in specie verò respectu accipientium, ut eas sic communicatas suas faciant, illis uti, abuti, atque de iis tanquam propriis pro suo arbitrio disponere possint, respectu dantium, ut ipsis accipientes ad rem ejusdem generis sive naturæ, & qualitatis sive bonitatis reddendam obligati sint, est mutui

*Finis.*

F I N I S.

S O L I   D E O   G L O R I A.